



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117778**

§. 30. Heraclius vim adhibet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](#)

Sæculum IV. Episcopum, sicut Provinciæ Prætorem  
A. C. 356. dare.

## §. XXX.

*Heraclius vim adhibet.*

*ad Solit.* Catholicorum resistentia brevi nov.  
p. 847. rum malorum causa fuit. Quodam

die Mercurii, qui erat dies stationis, cum  
populus in magna Ecclesia conventum  
ageret, Comes Heraclius secum ducens  
Præfectum Ægypti Cathaphronium, Fau-  
stinum Catholicum, seu quæstorum  
omnium præpositum, & hæreticum no-  
mine Bithynum, allegato Cæsaris man-  
dato, juniores ex Idololatria, quos forte  
in foro stantes vidi, excitavit, ut Eccle-  
siam intrarent, & lapides in populum ja-  
cerent. Jam tunc concio erat soluta, &  
plerique Fidelium diffuxerant, pauce  
tantum supererant fæminæ, ibi sedentes,  
haud dubie, ut ab oratione, quæ tunc  
stando peragi solebat, paululum quiesce-  
rent. Subito irruunt pueri nudo corpo-  
re, fustibus armati, & lapides jacien-  
tes; verberant Virgines, capitis velamen  
diripiunt, cumque eæ resisterent, pedi-  
bus percutientes, probra procaciter in-  
gerebant; ipsæ, ne talia audirent, tan-  
quam a morsu aspidis fugiebant. Hæc  
Arianis risu digna videbantur. Tunc  
Gentiles scamna, Cathedram, Altare,  
quod ex ligno erat, Ecclesiæ vela, &

quæ-

quæcunque loco movere potuerunt, auf- Sæculum IV.  
ferunt, & ante principalem Ecclesiæ por- A. C. 356.  
tam in magna area cōburunt; simul in-  
censum in hunc ignem injiciebant, lau-  
dantes Idola sua, & dicentes: *Constan-*  
*tius Idola adorat, & Arianis Religio no-*  
*nstra placet.* Imo buculam, cuius opera  
in illa urbis regione aqua irrigandis hor-  
tis extrahebatur, apprehensam immolare  
parabant, nec abstitissent, nisi fæminam  
esse agnovissent, quas Diis in Sacrificium  
offerre nefas ducebant.

In hoc tumultu duo acciderunt, quæ  
sensibilia Divinæ vindictæ signa credi po-  
tuere. Ex caterva puerorum aliquis Ca-  
thedralæ Episcopali insedit, naso inhone-  
ste sibilans, tum surgens, Cathedram dis-  
rumpere nitebatur, dum omnem virum  
conatum adhibet, acutum ligni frustum  
ventrem trahentis perforat, tam lato vul-  
nere, ut ilia erumperent; concidit, aspor-  
tatur, altera die animam egit. Alius in-  
travit Ecclesiam cum foliis, quæ Pagano-  
rum more quatiens, pueriliter insolescen-  
bat, illico oculis ludentis tenebræ offun-  
duntur, ita, ut nihil videns, nesciret, ubi  
esset; cecidisset, nisi manu tenuissent, &  
abduxissent; vix satis post unius diei spa-  
tium mens rediit, tuncque, nec quid fe-  
cisset, nec quid sibi accidisset, reminisce-  
batur. Hæc exempla Gentiles permo-  
verunt,

Sæculum IV. verunt, ut furere desinerent; Arianorum  
A. C. 356. contra inde contumacia crevit.

## §. XXXI.

*Georgius intruditur in Sedem Ale-  
xandrinam.*

*Amm. Marc.* **G**eorgius, quem Episcopum Alexandri-  
I. XXII. c. num ordinaverant Ariani, erat na-  
II.

tione Cappadox, obscuris natalibus, fullo-  
nis filius. Juveni parasitorum conditio-

*Greg. Naz.* or. 21. p. 382. præ coeteris placuit, eratque illi semper

*Ath. ad So-* amicissimus, cujuscunque mensa laetius  
lit. p. 844. gulam satiasset. Deinde negotiationi  
c. 861.

se dedit, & quæ militibus alendis caro  
porcina distribui solebat, hanc ipse coe-  
mendi curam in se suscepit; at pessime  
administratione sua functus, omnibus  
que, quæ habebat, consumptis, Con-  
stantinopoli, ibi enim egregium munus  
obierat, auffugiens, per varias Provin-  
cias erravit. Homo scientiarum omnium  
expers, ingenii illiberalis, & injucundi,

*Ath. de Sy-* amœnioribus Musis ignotus, Christianus  
nod. p. 912. nomine, re Gentilis eam Doctrinam se-  
*Idem in Ar.* quebatur, quæ rebus suis utilior videba-  
or. I. p. 290. tur; pietatem nequidem externe profi-  
tendi cura erat; sed avaritiæ vitium non  
premebat, ad omne malum pronus, per-  
turbator pacis, & natura ad crudelitatem  
comparatus.

Tan-